

Heinrich Rahn Georgius Gröne

Disputatio Inauguralis De Sententia Iudicis,

[Rostochii]: Kilius, 1660

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735194408>

Druck Freier  Zugang



Vertheilung

R U jur. 1660.

Heinrich Rakne, Paris

Georg Brönc, Rusp.

10

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
SENTENTIA JUDICIS,

Quam
DEO Opt. Max. Auspice,
Ex Consensu & Autoritate Nobilissimi & Amplis-
simi Corporum Collegii in Illustri Academia
ROSTOCHIENSI,

SUB PRÆSIDIO
VIRI CONSULTISSIMI
DN. HENRICI RAHNEN,
J.U.D. & P.P. Consistorii Ducalis Asfes-
soris gravissimi, Amplissimæ Facultatis Juridicæ
Senioris & p. t. Decani Spectabilis,
Dn. Præceptoris ac Fautoris sui æter-
nùm honorandi,

*Pro Summis in Utroq; Jure honoribus & privilegiis
Doctoralibus consequendis
Solenni & publico examini submittit*

GEORGIUS GRÖNE, Lubecensis,

Ad diem XIV. Junii in Auditorio Majori
horis matutinis & pomeridianis.

Typis Heredum NICOLAI KILII, Acad. Typogr. 1660.

Universitäts-
Bibliothek
Rostock



In Nomine Sacro Sanctæ & summæ
Trinitatis.



Um non minus lites quam imbecillitates & defectus vitam humanam passim affligant & conturbent, interest sane Reipubl. per legitimos tramites litibus quancumq; exortis nervum, incidi, ne ex longa contentione animi civium, distrabantur & publica tranquillitas tandem pessumeat. Quem in finem publice constituta sunt Judicia, ubi tanquam in palestra litigantes se certamini committunt ejusq; finem sibi tandem imponi desiderant per Judicis sententiam. De hujus indole & requisitis leviter in subsequentiis agere idq; loco Disputationis Inauguralis publico & solenni examini placidè submittere constituimus; Faxit Deus Opt. Max. ut cepta feliciter succedant & finem suum sortiantur.

THESIS I.

HAud operæ pretium arbitramur in quirere multis in sententiæ varias acceptiones easq; recensere, cum id abunde factum sit à Briffonio, Calvino, Schardio & aliis lexicographis in voce sententiæ, quo & nos brevitatis studio remittimus. Hoc loco cum illa sententiæ significatione nobis res erit, quatenus capitur pro litis decisione eaq; non in genere tali, sed quatenus in specie enunciat de Judicis pronuntiatione, qua controversiam ex legibus vel ex æquo & bono dijudicat extremumq; ei finem imponit. *Gloss. in c. cum olim de Testib. wesenb. Par. Dig. de Re Judic. n. 3.*

2.

Quo intuitu definimus eam quod sit pronuntiatione judicis litem, definiens,

A 2

Def.

definiens, l. 32 de Re Judic. l. 1. §. f. ad SCT. Turpill. Dn. Schnob. Disp. ad Pand. 21. th. 1. Loco generis ponimus pronunciationem & quidem Judicis non alterius, ad illius namq; officium principaliter spectat lites diminuere l. 21. ff. de Reb. Cred. l. 13. C. de Judic. & finem controversiarum imponere, l. 1. ff. de Re Jud. nam quamvis & alii lites dirimere possint, ista tamen decisio non nisi improprie sententiæ nomen meretur, cum illi nulla insit autoritas, nulla vis, nullum juris vinculum & per consequens nullus certus finis. Pronunciatio autem intelligitur non quævis, nec enim omnis judicis vox statim est sententia l. 7. C. de sent. & interl. sed quæ se refert ad lites in judicio deductas earumq; determinationem continet. Quæ lites cum sint vel de causâ principali vel de incidenti l. 19. §. 2. ff. de Rerept. Arbitr. & exposcant quæq; suam decisionem, duplici absolvuntur sententia, quarum altera dicitur Definitiva, altera Interlocutoria Dn. Hahn. ad Vvesenb. par. ff. d. t. de Re. Jud. Schnob. d. D. th. 2.

3.

Definitiva, quæ & definitio l. 2. vers. sin autem. C. de Temp. & re-par. appell. Item sententia postrema dicitur l. 22. C. ad L. Corn. de Fals. Germ. Ein Endurtheil / est pronunciatio judicis controversiæ principaliter motæ decisionē continens absolvendo vel condemnando reum. l. 1. l. 4. §. 6. de Re Jud. l. 3. C. de sent. & interl. Marant. spec. Aur. part. 6. §. & demum n. 3. Quorum alterum contineat necesse est idq; exprimat vel simpliciter per verba Absolvo vel condemno, vel per verba æquipollentia, veluti si Judex dicat Titium debere solvere. l. 59. de Re Judic. nihil Titium debere. l. 21. §. 1. ff. de Arbitr. Bach, ad Tr. V. 2. D. 23. th. 2. lit. A. Vant. de Null. sent. ex def. process. n. 19. Zas. in l. 1. de Re Judic. Quandoq; tamen una sententia simul & absolutionem & condemnationem in diversis tamen articulis proferre potest ex gr. quando Judex Titium in so. condemnat, à reliquis actoris petitionibus ipsum absolvit arg. c. 1. X. de sequestr. possess. Gail. 1. obs. n. 1. & seqq. In causis Appellationum Judex non tam absolvit vel condemnat, quam sententiam confirmat vel infirmit l. 6 pr. C. de Appell.

4.

Sententia Interlocutoria, quæ & interlocutio dicitur, rubr ff. de Re Jud. & c. & C. de sent. & interloc. Germ. Ein Beurtheil in genere significat omnem Judicis pronunciationem l. 1. §. 5. Ad SCT. Turpil Vid. Coll. Argent. de Re Jud. n. 19. In specie vero est pronunciatio judicis su.
per

per aliquo incidenti vel emergenti articulo inter principium & finem causæ principalis interposita, principale negotium plerumq; non finiens. *l. 7. & 9. C. de sent. & Interl. c. 9. pr. ibi interloquendo decrevimus x. de probat. l. 19 Sult. de Recept. Arbitr. Marant. de S. n. 2. Gail. 1. Obs. 129. n. 2.* Et dividitur in meram seu simplicem, & mixtam, vim definitivæ habentem. *Rosbach. in Process. Civ. tit. de sent. n. 2. Gail. 1. Obs. 130. n. 1.* Simplex est quæ in terminis simplicis interlocutionis consistit, cum judicis officium per eam non finiatur nec determinetur aliquis articulus substantialis *Zoëf. ad tit. de Re. Jud. n. 106.* veluti si Judex Jubeat litigantes certâ die adesse *d. l. 19. de Arbitr.* si præcipiat instrumenta proferri, Juramentum in litem præstari, si det dilationem vel deneget, si admittat articulos, si contumaciam in non comparando puniat &c. *Coll. Arg. d. 1. n. 122.*

V.

Mixta ulterius progreditur & propè accedit ad naturam definitivæ, non quod principalem causam definiat, sed quod per indirectum tangat & determinet articulum qui ad victoriam causæ principalis momentum facit *Gail. 1. Obs. 130. n. 6. Marant. d. S. n. 42. & seqq.* Ejus ordinis est sententia absolutionis ab instantia & observatione judicii, *Marant. d. S. n. 23. Zoëf. d. 1, n. 106 Gail. d. O. n. 8.* Sententia desertæ appellationis ab interlocutoria interpositæ, *Myns. C. 3. Obs. 88. Gail. 1. Obs. 38. n. 1.* Sententia perpetui silentii ex *L. Diffamari, Marant. d. S. & demum n. 34.* Revocationis attentatorum *Gail. d. Obs. 130. n. 8.* Incompetentiæ & similes, quæ omnes quatenus toti causæ præjudicium generant, quod vel alia sententia non speretur vel aliquis causæ principalis substantialis articulus definitus sit, rectè vim definitivæ habere dicuntur. *Gail. 1. Obs. 132. n. 1. & 2. Myns. Cent. 3. Obs. 35. & 36. Coll. Arg. de Re Jud. n. 121.* Et hæc quidem quoad nomen interlocutoria est, verum quoad formam introducendæ appellationis aliosq; juris effectus Definitiva eiq; per omnia æquiparatur *Gail. d. Obs. 130. n. 5. & d. Obs. 132. n. 3.*

VI.

Causa efficiens sententiæ est Judex competens, qui Jurisdictionem sive etiam nudam notionem super causa, de quâ agitur, habet. *l. 38. ff. de Re Judic. l. 5. eod. l. ult. pr. C. ubi & apud quem cognit. in integr. C. pen. ff. de Judic. l. 99. de Verb. sign.* qualis est non tantum ipse Magistratus, sed & qui ab eo datus est, modo dari potuerit & ad rem certam datus eam non egredietur, *l. 1. & 3. C. si à non Comp. Jud. Zoëf. d. 1. de Re Jud. n. 45.*

Si plures iudices sint dati, omnes iudicare debent nec uno absente re-
liqui sententiam rectè dicunt. *l. 37. l. 39. de Re Jud. ubi Zas. n. 1. & Dd.*
vulgo nisi per contumaciã quis absens sit, tunc enim valet sententia præ-
sentium c. 22. §. adijcimus X. de off. jud. deleg. vel nisi unus de mandato alio-
rum pronunciet vel in commissione contineatur quod omnes con-
junctim vel singuli separatim sententiam ferre possint c. 8. & ibi Glos.
in verbo forma & Dd. de off. & pot. jud. deleg. in 6. Specul. de sent. §. 2. n. 2.

VII.

Necesse autem non est ut omnes in unam sententiam consentiant,
sed sufficit si quilibet quid sibi videatur, edicat *d. l. 39. de Re Jud.* quo
casu si dissentiant, illa prævalet sententia quæ plures astipulatores ha-
bet, major enim pars vincit minorem *d. l. 39. l. 19. ff. ad Munic.* licet re-
liqui forte sint digniores: eandem enim omnes in jure ferendi suffragii
habent potestatem *Bachov. ad Tr. d. D. th. 2. l. C.* Quod si inter numero
pares dissonæ fuerint sententiæ, scire refert, utrum sint latæ à delegatis
an ab ordinariis: si à delegatis, alterutra in pendenti est, donec à dele-
gante confirmetur *l. 28. de Re Jud. ubi Glos. Zas. Jas. & alii, c. f. de sent.*
& Re Jud. Bach. d. lit. C. si ab ordinariis; illa obtinebit, quæ est de mini-
ma summa *l. 38. §. 1. ubi Zas. n. 1. & 6. de Re Jud.* vel quæ lata est pro reo
d. c. f. l. 125. de Reg. Jur. Nisi causâ agentis sit favorabilior, puta matrimo-
nii, testamenti, libertatis, dotis. *d. c. f. & d. l. 38. l. 20. de Inoff. Test.*
l. 85. de Reg. Jur. l. 122. eod. vel absolutoria fuerit planè iniqua *d. l. 10.*
Zas. in d. 38. n. 3.

VIII.

Subiectum sententiæ sunt omnes, inter quos ut Justinian. ait §. 1.
Inst. de Action. de re aliqua controversia est & qui ejus nomine Judicium
suscipere possunt, sive ipsi principales sint, sive eorû procuratores. Nam
& contra hos rectè sententia fertur *l. 1. C. de sent. & interl.* cum per litis
contestationem ejus domini facti sint *l. 22. l. 23. C. de Procurat. c. 1. & 2.*
eod. in 6. Sed hoc verum saltem est in causis civilibus non item in crimi-
nalibus, *l. ult. §. ult. C. de Injur.* nisi pœna criminis infra relegationem
consistat, fortè si agatur ad pœnam pecuniariam *l. 1. pr. ff. An per al. caus.*
appel. Fachin. 1. Contr. 26. Umm. in Pror. D. 19. n. 28. Hodie in Cam. Im-
perii sententia non nisi contra Dominum fertur *Myns. Cent. 6. Obs. II.*
Gail. 1. Obs. III. sive ipse litem contestatus sit, sive alius pro eo, excepta
causâ injuriarum, ubi sententia in procuratorem ad evitandam infamiam
aut pro arbitrio Judicis in principalem ferri potest. *Myns. & Gail. d. l.*

IX. Ma-

X.

Materiam sententiæ subministrat res controversa in iudicio deducta, quæ vel privata, quando agitur de tutelis, hereditatibus &c. vel publica, quæ iterum vel publici juris, cum agitur de imperio, territorio, religione vel publicorum iudiciorum, puta læsa Majestatis, falsi &c. civilis vel Criminalis d. l. 1. *An per alium caus. appel.* nec tantum ipsa res principalis sed & omnes ejus accessiones & fructus t. t. C. de *Usur & lit. expens.* l. 2. ff. de *Usur* l. 25. §. 8. de *Adilis. edict.* etiamsi in petitione expressi non fuerint. Sunt enim fructus de natura petitorum & proinde in libello tacite comprehensi censentur, *Carpz. in Procef. Forens. tit. de sent. Art. 2. §. 4.* nisi ab actore nominatim excepti sint, aut post litem contestatam supervenerint l. 61. de *Judic.* l. 23. eod.

X.

Forma sententiæ Accidentalis consistit in ipsius sententiæ solenni & apta pronuntiatione. Ubi ante omnia requiritur ut litis contestatio præcesserit *Auth. ad hæc c. de Judic.* deinde ut probationes partium & reprobationes intervenerint, sunt enim æque ut litis contestatio de substantia iudicii *Cravett. Conf. 265. n. 5.* post requiritur, ut causa plenè cognita fuerit l. 2. 4. 7. C. de *sent. & interl.* quæ in dubio intervenisse præsumitur *Barth. in de l. 4. n. 9.* & denique ut ipsa sententia partibus ex scripto legatur & ab ipso iudice sedente l. 2. C. de *sent. ex per. recit.* l. 6. §. f. ff. de *postul. c. ult. inf. de sent. & re Jud. in 6.* in loco publico & conserto pronuncietur l. 1. & ult. d. 1. de *sent. ex per. recit.* Excipiuntur causæ summariæ & breves vilium maximè personarum, quas stando iudex definire potest & sine scripto proferre. *Auth. nisi C. d. 1.* Itemque si illustres sint iudices aut Episcopi, qui ob ordinis sui dignitatem non tenentur ipsi recitare sententias d. l. 2. & *Auth. Nisi Umm. d. D. 19. n. 39. ec. 40. Zoef. tit. de Re Jud. n. 8. & 9.* Hodiernis moribus in omnibus fere iudiciis sententiæ per actuarios recitantur, *Bocer. Clas. ul. D. 32. n. 22. Umm. d. n. 40.*

XI.

Proferri autem debet sententia præsentibus iis, ad quos ea res, de qua agitur, pertinet. l. 47. ubi *Zaf. ff. de Re Jud. inter absentes* enim sententia non valet *Accurs. in l. 7. C. quomod. & quand. jud.* qui proinde ad eam audiendam citandi sunt l. 7. 8. C. *quom. & quand. jud.* quanquam si præsentibus in iudicio sint, citatione non opus sit. *Zaf. in d. l. n. 6.* Absentes

Sentes autem hic intelligimus qui ne presentes quidem litem inchoarunt: Nam sententia lata contra eos, qui presentes litem ceperunt & postea abfuerunt, ipso jure valet, sed appellatione rescindi potest *l. ult. C. d. t. nisi per contumaciam l. 73. §. f. de jud. sive quod idem est ex exremodicio l. 13. §. 3. eod. absentes fuerint Zoef. d. t. de Re Jud. n. 9.* Qui enim ex contumacia sui presentiam facere nolunt, in eos perinde ac si presentes essent, auditis presentium allegationibus sententia ferri potest omni appellandi facultate iis adempta. *l. 73. §. f. de Judic. & l. 23. §. fin. de Appell.* Contumaces autem non videntur illi, qui non dolo abfunt, quales sunt qui morbo fontico laborant *l. 60. de Re Jud.* aut quos alia justa causa excusat, puta si vel vi hostium, metu pestis, impetu fluminum presentes esse prohibeantur. *Zaf. ad l. 60. ff. de Re Judic. n. 4. in f.* Unde nec sententia contra hos lata valet. *d. l. 60. l. 54. §. 1. eod. Myns. Cent. 4. obs. 57.*

XII.

Forma sententiae substantialis consistit in ipsius sententiae recta conceptione. Circa hanc potissimum respici debet an sit libello conformis, hoc enim necesse est *l. 18. ff. Comm. Divid. l. 43. de Recept. arbit. Umm. d. D. 9. n. 47. Gail. 1. Obs. 66. n. 1.* non quidem quoad conclusionem, alias omnis sententia esset condemnatoria & reus nunquam absolveretur, cum fere semper actor eum condemnari petit. Schneidew. *ad § 32. hist. n. 40.* Sed quoad rem petitam, ne in aliam condēnet; & quoad causam petendi, ne ex causa mutui feratur, cum actum fuerit ex causa depositi. *Coll. Arg. ad t. de Re jud. n. 5.* etiam si clausula illa salutaris peto praedicta omni meliori jure & forma, prout peti possunt, libello fuerit annexa *Berl. Dec. p. 1. 87. n. 8.* quia ista clausula ultra marata in libello nihil operitur *Carpz. in pax. For. lit. 16. Art. 4. §. 9. n. 70.* Astrictus enim videtur Judex actoris petitioni adeo, ut non possit eam egredi *l. f. C. de Fideic. hered. nisi quid ultra petitione deberi ex actis pateat vel in consequentiam rei petite veniat; quo spectant varii casus quibus reus condemnatur in aestimationem rei petite, aut interesse, quando ipsi impossibilis est praestatio ejus, quod petitur, ut quis perit, aut stat per alium, quo minus reus dare, aut facere possit, l. 4. C. de Abst. Empt. l. 14. ff. eod. Perez. in Cod. de sent. que fin. cert. quant. n. 8.* Praedicta tamen regula fallit in criminalibus, in istis enim libello non est adstrictus Judex, sed pro quantitate delicti potest vel levioerem, vel graviorem poenam, quam petit actor, imponere. *l. 11. & 13. de pen. Myns. 2. Obs. 30. n. 3.*

XII. Sic

XIII.

Requiritur insuper ut sit certa: nam alias ipso jure nõ valet, nec transit in rē judicatam *l. pen. & ult. C. de sent. quæ sin. cert. quant.* Quia sententiæ finis est ut lites finiantur, quem utiq; cõsequi nequit, nisi per certã pronuncia- tionē. *Bach. ad Tr. V. 2. D. 23. th. 4. pr.* Certa autem dicitur dupliciter (1.) in se & simpliciter, cū judex certam quantitã nominatim exprimit, in quã reum condemnat, (2.) per relationem ad libellum vel instrumentum obligationis, aut acta *l. 3. in f. C. de sent. quæ sin. cert. quant.*, si modo libellus, instrumentum, acta contineant certam quantitatem *Zoes. h. t. n. 1. 61. & 62.* Excipiuntur tamen casus quidam, in quibus sicut incerta petitio, ita quoq; incerta sustinetur sententia, ut in actionibus universalibus, puta petitione hereditatis, dotis &c. quatenus incertitudo versatur tantum circa quantitatem, nam si de ipso universali non constet, vitiat sententiã incertitudo *l. 5. C. de sent. quæ sin. cert. quant.* (2.) In accessoriis & expensis litium quæ principaliter non petuntur *l. 3. de fruct. & lit. expens.* (3.) In actione noxali & in aliis alternatiuis §. 34. *Inst. de Adion.* Has & si quæ plures hujusmodi sunt sententiæ, incertitudo non vitiat, si modo executio certa esse possit. *Ant. Fab. in C. lib. 7 t. 20. D. 10. n. 1. VVurmbf. lib. 4. tit 6. Contr.* quo respectu etiam non omninõ incertæ dici possunt *Umm. d. D. 19. n. 45.*

XIV.

Sit pura: nam si conditionalis sit non valet, *l. 1. §. 5. ff. Quand. ap- pell.* præsertim si conditio sit plane remota & extrinseca, ut si navis ex Asia venerit, *Sichard. in l. n. n. 4. C. de sent. & interl.* à quã proinde tanquam injusta appellari potest, *d. l. 1. §. 1. Zas. ad l. 15. §. 2. n. 14.* Secus est si conditio sit intrinseca & ipsi negotio cohæreat, puta, cum quid factum sit quod merita causæ respicit & in continenti sine nova judicis cognitione purificari potest. *Bart. in l. n. C. de sent. & interl. & in d. l. 1. §. 5. n. 2. in f. Qualis est condemno te, si juraveris d. l. n. & ibi Sichard. n. 3. cum seqq.* Cui accedere & illa videtur; condemno te, si probaveris. *Carpz. in Process. Forens. tit. 16. art. 2. §. 7. n. 63.* cum non minus hæc, quam juramenti præstatio in continenti verificari possit; quod tamen cum effectu intelligendum, sc. sententiam manere in suspenso usq; dum probationes receptæ fuerint, sicut nec alia conditione præstatio Juramenti admitti videtur, quæ ipsa est species probationis, vel saltem loco probatio-

B

batio-

barionis succedit, l. 12. in pr. ubi Gloß. C. de rebus Cred. in verbo probationes Hart. Pistor. Part. 4. quæst. 13. n. 10. Carpz. d. §. n. 66. & 67.

XV.

Sit juri consentanea pr. Inst. de Off. jud. sententia enim contra leges & constitutiones lata ipso jure nulla est, ut non opus habeat appellatione, l. 1. §. 2. Quæ sent. sin. appell. l. 2. C. quand. prov. non est necess. quando sc. expresse & principaliter contra jus constitutionis eam tulit iudex, l. 32. ff. de Re Jud. nominatim aliud jus inducendo, quam lege cautum sit, v. g. si iudex eum, qui allegat excusationem à tutela ob numerum liberorum, vel ætatem, nihilominus condemnaverit, adjiciens hæc non excusare, d. l. 1. §. 2. Quod si verò contra jus litigatoris judicaverit, v. g. si allegantem onera & privilegia excusantia à tutela, iis non attentis, nihilominus condemnaverit, valet sententia; de jure enim litigatoris potius pronunciavit, quam de jure constitutionis; quæ sententia proinde, nisi ab ea appelletur, transit in rem judicatam l. 27. & ibi Gothof de Re Jud. Idem dicendum opinamur de sententia lata contra Stylum Curie aut consuetudinem, nam nec illa valet, ut tradit Felin. in c. 1. n. 4. X. de sent. & Re Jud. quia consuetudo & Stylus curie jus faciunt. Zoef. h. t. n. 52. Sententia verò lata contra communem opinionem nulla dici non potest; quia opinio communis jus non ponit & non semper verior est, Zas. in l. 32. h. l. n. f. Zoef. eod. t. n. 51.

XVI.

Finis sententiæ est ipsa litis decisio, l. 1. de Re Jud. c. 2. de sent. & re jud. Umm. d. D 19. n. 48; saltem quoad instantiam, quæ finita est ex menta & proposito judicis. Unde nec ipse sententiam semel latam revocare, aut mutare potest, l. 14. de Re Jud. sive sit lata super causis civilibus, sive criminalibus l. 4. §. 1. ff. de Re Jud. l. 14. §. ult. de question. l. 9. §. 11. l. 27. pr. de pæn. tum quod latà sententiã statim expirat Judicis officium, l. 55. de Re Jud. tum quod publicè intersit sententiam non rescindi, propter rerum judicaturum auctoritatem, l. 65. §. 2. ad SCT. Trebell. Hinc nec per rescriptum Principis, l. f. C. sent. resc. non poss. nec ob instrumenta noviter reperta, l. 29. C. de Transact. l. 4. C. de sent. & interl. nec ob testes aliasq; probationes, retractari potest. l. 15. C. de Fid. Instrum. l. 4. C. de Re Jud. l. 12. §. 3. ff. de bon. libert. Myns. l. 6. th. 35.

XVII.

Quibusdam tamen casibus adversus sententiam restitutio conceditur

ceditur, ut i. si lata ex falsis instrumentis & testimoniis
*l. 1. C. si ex fals. instr. l. 33. ff. de Re Jud. 2. ex falso ju-
 ramento. l. 31. de Jurejur. 3. si nova instrumenta sint reperta in publi-
 ca causa, l. 35. ff. de Re Jud. it. in causa excommunicationis c. 8. de offi-
 cio Judic. ordinari. & in causa matrimoniali, Vvesenb. n. par. ff. 8. de Re Jud.*
 Quamvis autem Judex sententiam, ut diximus revocare nequeat, non
 prohibetur tamen sententiam. si obscura sit, interpretari & verba
 barbara fortè & inepra emendare *l. 46. de Re Jud.* Potest & ea supple-
 re, quæ ad consequentiam dictæ sententiæ pertinent eodem tamen
 die, *l. 42. d. t.* ut sunt, usuræ, fructus, expensæ, damna aliæq; acces-
 siones, *Zoëf. d. t. n. 109. & seqq.* Prædicta autem obtinent tantum in
 sententia Definitiva, inq; interlocutoria vim definitivæ habente: Nam
 mere interlocutoriam usq; ad definitivam retractare, augere corrige-
 re & minuere pro sua arbitrio potest Judex, qui eam tulit, etiamsi
 ab ea appellatum sit. *l. 14. de Re Jud. c. 60. de Appell.*

XVIII.

Accedimus jam ad sententiæ effectus; quorum primus consistit
 in eo, ut sententia rite publicata, si per appellationis remedium non
 suspendatur, in rem judicatam transeat, *Nov. 23. c. 1. & Nov. 119. c. 4.*
 quæ posterior inde est sententia, hancq; sequitur ut effectus caulam.
 Quod si itaq; per appellationem non fuerit suspensa sententia, tunc
 ob condemnati silentium habetur pro veritate, *l. 25. ff. de stat. homin.*
l. 207. de Reg. Jur. l. f. C. de sent. qui sin. cert. quant. Cujus tanta vis est,
 ut ei sit standum citra instaurationem, *l. pen. C. de Re Jud. & faciat de*
falso verum, de nigro album, de indebito debitum, & è converso,
Maschard. de prob. Concl. 1296. n. 16, & 19. non quidem essentialiter,
 sed quoad effectum, *arg. l. 1. §. 3. que fals. iur. gest. Coll. Arg. h. n. 73.*

XIX.

Cui consequens est quod inter litigatores Jus faciat, *l. 50. §. 1.*
de leg. 1. l. 14. de Appell. l. 17. §. 1. de Inoff. Test. eisq; solis præjudicium af-
 ferat *Rubr. C. Res int. al. act. l. 2. C. Quib. res Jud. non noc. sive causa sit*
civilis, sive criminalis, l. pen. C. d. t. l. 2. C. de Fid. Instrum. quia non
 sufficit eandem agi causam si personæ sint diversæ; quibus alia defen-
 sio esse potest. *l. 12. cum duob. seqq. l. 22. de Except. re Jud. nisi unius Jus*
& actio tanquam sequela pendeat ex jure alterius, l. 8. §. pen. de Inoff.
Test. Zoëf. de Re Jud. n. 130. aut nisi is, cui prima competit rei contro-
versæ

versæ defensio, permittat sequentem, aut eum, à quo causam habet, agere, *l. 63. v. scientibus de Re. Jud. c. pen. de sent. & Re Jud.* veluti si creditor patiatur debitorem agere super proprietate pignoris; maritus socerum, aut uxorem super dote; emptor venditorem super re empta; nam victo debitore, socero, uxore venditore & sua causa cadit creditor, maritus, emptor, *d. l. 63.* eo ipso enim dum permittunt illis litigandi exercitium, quod ipsi instituere poterant, censentur consentire in *Judicato Zoës. de Re Jud. n. 132.*

XX.

Alter effectus est, quod producat non solum exceptionem litis finitæ, sed etiam actionem rei judicatæ, l. 4. pr. & §. 1. l. 6. §. ult. de Re Jud ut satisfiat sententiæ Cujac. 3. Obs. 30. Gail. 1. Obs. 117. Myns. Cent. 2. Obs. 8. Quæ actio datur ei, qui obtinuit sententiam, sive sit dominus litis, sive procurator in rem suam datus, *l. 28. de procurat.* Datur & pupillo & minori, quorum tutor, vel curator in causa eos concernente, vicit, *l. 2. pr. ff. de administ. & peric. tut. l. 6. quand. ex fact. tutor.* Contra eum, qui condemnatus est, sive per se, sive per Procuratorem, *l. 4. de Re Jud.* Item contra pupillum & minorem, cujus tutor, aut curator condemnatus est, *l. 2. pr. de admin. & per* quia ipsius causa agitur. Quod tamen non aliter procedit, quam si excesserit pupillum infantiam, aut abesse defuerit; alias in ipsum tutorem datur, *Colleg. Arg. tit. de Re Jud. n. 8.*

XXI.

Datur & Heredi & contra heredem, *l. 6. inf. de Re Jud.* ut ut ejus nulla fuerit facta mentio in instrumento, quia obligatio heredis in instrumento virtualiter continetur *l. 1. C. si cert. petat. l. 44. pr. ad SCT. Trebell.* Plures si condemnati fuerint, singuli non in solidum, sed pro virili tantum parte tenentur, *l. 43. de Re Jud l. 10. §. 3. de Appell.* etiam si cæteri solvendo non sint, *l. 2. C. si plur. un. sent. & reverà prius in solidam obligati fuerint, l. 59. §. 3. ff. Mand.* cum enim per judicatum prior obligatio noverit, *l. 16. §. 6. de pignor.* à solidi exactione soluti & in parte tantum condemnati censentur, *Peretz in C. si plures una sent. nri.* nisi sententia singulos in solidum condemnare, aut quod ab uno habere non posset, id per alios suppleri voluerit, *l. 7. C. d. t.* aut res de qua agitur, individua sit, *arg. l. 192 de R. J. l. 65 de Evict.*

XXII.

Tertius effectus est, quod paratam secum habeat executionem.
l. 40. ff. de Mi-

l. 40. ff. de Minor. Parum enim esset Sententiam ferre, nisi ea mandaretur executioni, l. 65. §. 2. ad SCT. Trebell. Auth. hodie. de Appell. c. is X. de Re Jud. Coler. de Process. Execut. p. 3. c. 12. n. 108. Fieri autem potest executio ab eo qui sententiam tulit, d. c. 15 X. de Re Jud. l. 19. ubi Dd ff. de Jurisd. Mysf. Cent. 3. Obs. 6. modo mixtum habeat imperium. Est enim executio sententiae mixti Imperii, l. 2. ubi Busf. de Idict. l. ult. §. 1. ff. de Off. ej. cui mand. Idict. Scip. Gent. lib. 1. de Idict. c. 15. Rutg. Ruland. de Commiss. part. 1. lib. 3. c. 9. n. 4. Judex ergo pedaneus seu delegatus sententiam à se dictam exequi nequit, sed Magistratus, qui eum dedit, l. 15. 12. de Re Jud. l. 6. C. de Reb. Cred. Nisi sit delegatus Principis, qui cum Jurisdictionem habeat & pedaneum Judicem dare possit, l. un. C. qui pro sua Idict. l. 5. C. de Jud. sententiam suam per se exequi potest, arg. d. l. 2. ff. de Jurisd. vel ordinario exequendam dare, qui eam, licet injusta sit, exequi tenetur, secund. c. 28. §. quia vera X. de Off. & Pot. Jud. Deleg. Bocer. Cl. ult. D. 36. th. 16.

XXIII.

Fieri autem debet executio contra ipsum reum condemnatum, l. 4. §. ait Prator ubi Donell. ff. de Re Jud. l. ult. C. de Exec. Rei Iud. vel eo defuncto, adversus heredes ejus, l. 6. §. ult. ff. d. t. non vero contra procuratorem tutorem, curatorem aut Syndicum, d. l. 4. §. 1. & 2. ff. de Re Iud. Contra tertium autem, non condemnatum, executio fieri non potest, l. 2. C. quib. res Iud. non noc. l. pen. ubi Don. de Re Iud. & t. r. C. Res int. alios acta. Gail. 1. Obs. 118 l. 2. Nisi sit possessor rei litigiosae, contra quem Judex sine novo processu sententiam exequi potest, l. 2. C. de litigios. Gail. d. l. Alius autem exequendi modus observatur in actione reali, alius in actione personali. Ex reali actione condemnatus jubetur statim rem cum fructibus & omni causa restituere; qui si Judici non pareat, contendens non posse restituere, si quidem habeat rem, manumilitari officio Judicis possessio ab eo transfertur. Si vero non potest restituere, si quidem dolo fecit, quo minus possit, aestimationem, quanti actor in litem juraverit, praestare tenetur. Si autem non fecit dolo, non pluris aestimatur res, quam quanti revera est, l. 68. ff. de Rei Vind. §. 2. Inst. de Off. Iud.

XXIV.

Ex personali autem actione condemnatus non tenetur confestim sententiae satisfacere, sed humanitatis gratia ei jure communi indulgetur

tur tempus quadrimestre, l. 2 l. f. §. f. C. de Usur. rei iud. l. 16. §. ult. de Compens. c. 15. X. de Re iud. quo effluxo. si condemnatus solvere neglexerit rem debitam, in eius æstimationem, captis pignotibus, executio facienda erit, l. 7. C. de Exec. Re iud. quomodo autem id fieri debeat, explicat *Ulpian. in l. 15. de Re iud. sc.* ut capiantur primo mobilia, deinde immobilia, tertio nomina debitorum & his deficientibus tandem deveniatur ad capturam personæ, d. l. 15. §. 2. l. 1. C. qui bon. ced. poss. Marant. p. 6. de Exec. sent. n. 8. Excipiuntur arma & stipendia militum, l. 4. C. de Execut. rei iud. etiam si a cto non militent; item libri Scholarium Colleg. Argent. de Re iud. n. 95. Rosb. in Proc. Civ. tit. 79. n. 11. Et instrumenta ad agriculturam pertinential. 7. & Auth. agricultores C. Quæ res pignori oblig. quæ in causam Judicati capi non possunt, in quæ fieri possit executio Rosbach. d. n. Carpz. Def. for. Part. 1. Const. 29. D. 32. n. 2 & 3.

XXV.

Restat nunc dicendum de sententiæ contrariis & Affinibus. Ex contrariis se l. offert *Nallias*, quæ contingit vel ex defectu personarum Judicium constituentium, vel ex defectu processûs, vel propter omisam solennitatē ipsius sententiæ Rosbach. in Proc. Civ. tit. 72. n. Primo modo sententiæ nulla dicitur, si à iudice nõ competente sit lata t. t. C. si à non temp. filata sit inter personas, quibus Jus standi in Judicio non competit t. t. C. qui leg. pers. stand. si sic dicta in falsum procuratorem l. 24. C. de Procur. l. 1. C. quib. res iud. non noc. Ex defectu processûs, si contra solitum Judiciorum ordinem prolata sit l. 4. C. de sent. & interl. omisa processus forma, veluti Citatione, libelli oblatione, litis contestatione, causæ disceptatione & cognitione, l. 1. C. de Execut. Rei iud. c. 8. v. nas igitur. X. de dol. & cont. Bocer. C. l. ult. D. 33. n. 8. Ob solennitatem omisam veluti si loco & tempore non consveto, puta in feriis l. 1. §. 1. ff. de feriis l. 2. 3. & 7. C. eod. l. 4. C. Quam & quand. c. f. X. de Feriis vel de nocte c. 24. de off. & pot. iud. de leg. Van. de nullit. que ex defect. Process. n. 80. vel etiam sine scripto pronunciata sit, t. t. de sent. ex per. recit. Van. d. t. n. 69. & seqq. Inducitur autem nullitas vel per modum exceptionis ad impediendam executionem & repellendam iudicati actionem, vel per modum actionis implorato super eo officio Judicis *Gail. n. Obs. 77. n. 4. Coll. Argent. de Re iud. n. 107.*

Appellatio

Appellatio, quâ sententia Judicis inferioris iniqua corrigitur & reformatur à superiore. Quod intelligendum de sententia de finitiva, aut ea, quæ vim de finitivæ habet, l. 39. pr. & l. 7. §. 2. V. *permittitur. ff. de Minor. l. 5. 12. C. quor. appell. non recip. Ord. Cam. Part. 2 tit. 28. §. ult. & tit. 29. Sund so von Beyurtheiln. Gail. 1. Obs. 129. n. 1. & Obs. 130. n. 6. & Obs. 132. n. 4. Gothofr. ad 1. pen. C. quor. appell. non recip.* Nam ab interlocutoria Jure Civili appellare non licet, l. 5. & 7. C. quor. appell. non recip. & ibi Cujac. in parat. nisi contineat tale gravamen, quod per appellationem à definitiva reparari nequeat l. 2. de Appell. recip. Gail. 1. Obs. 132. n. 4. veluti si Judex interlocutus sit, ut quæstio habeatur, d. l. 2. de Appell. recip. vel ut in carcerem litigator conjiciatur Vvesenb. par. ff. de Appell. n. 8. Jure tamen Canonico ab omni gravamine, etiam futuro, cujus sc. justa est suspicio appellare licet, c. 10. de Appell. c. 1. c. 3. §. si v. eod. 1. in 6. c. 2. de dol. & cont. in 6. c. 2. X. de conjug. serv. At Camer. Imperialis sequitur Jus civile, Cam. Imp. p. 2. tit. 28. §. fin. & tit. 29. §. 2. & 3. nec id sine causa, cum voluerit occurrere multorum malitiis, qui à quovis prætenso gravamine appellare solent ut cautam principalem in infinitum extendant Gail. n. Obs. 129. n. 1.

XXVII.

Supplicatio, quæ nihil aliud est quam quædam precum oblatio facta Judici, à quo appellari non potest, pro reformando eo, quo quis se gravatum dicit l. 1. ff. quibus appell. non lic. l. 5. & aurb. sequenti C. de precib. Imp. offerend. Nov. 119. c. 8. Quæ Semel tantum offerri potest & non nisi deficiente remedio ordinario appellationis Resb. in Proc. Civ. tit. 77. n. 2. 4. *Revisio*, quæ supplicationi similis est Hahn. ad Vvesenb. de Re Jud. n. ult. in f. ab Imperatore & Imperii statibus introducta est contra sententias Cameræ Imperii, à quibus appellari non potest, ut ex diligenti actorum in inspectione à certis Deputatis denuo revideantur & si forte incuriâ quorundam perperam lata inveniantur, in melius reformentur. Ord. Cam. part. 3 tit. 53. Gail. 1. Obs. 54. sed & hæc hodie in judiciis inferioribus locum obtinet, ut testatur Idem Hahn. d. l. 5. *Restitutio in integrum*, quâ rescinditur sententia lata contra minores vel contra alios minoribus similes v. g. Ecclesiam & Rempubl. l. 4. C. Exquib. caus. Major. l. 2. C. sentent. rescend. non poss. & quidem ab eodem Magistratu qui contra hos Judicavi

dicavit *l. 16. § ult. ff. de Minor Coll. Arg. d. t. de Re Jud. n. 110.* sententia enim contra majores lata citra appellationis remedium rescindi non potest, *l. 2 C. d. t. 6. Syndicatus.* Quo litigantes, qui se iniqua sententia gravatos dicunt, ipsos judices de dolo, quod vel prece vel precio corrupti, favore aut odio injustam dixerint sententiam, acculant. Iudicium hoc impetratur & instituitur in Cam. Imperiali eodem modo, quo Iudicium revisionis. *Ord. Cam. p. 3. l. 53. § 140. aber einige Partheyen. Boc. l. d. d. 6. D. 35. & ult. 7.* Deniq; de Jure Saxo nico sunt Leuteratio & Oberleuteratio. *de quibus videatur Carpz. prax. For. tit. 17. Art. 1. n. 1. 2. & seq.*

XXVIII.

Affinia sunt Confessio litigantium judicialis, *l. 56. de Re Jud. l. 1. & pass. de Confess. l. un. C. eod.* Jusjurandum litis decisorium *l. 1. & 2. ff. de Jurejur. & ibi Coll. Arg. n. 19.* Transactio *l. 65. de Cond. Indeb. l. 20. C. de Transact. l. 13. & 29. eod. l. 8. C. Comm. utriusq; iud. Laudum l. 1. & pass. de Recept. arbitr. Iudicium tortis l. 5. ff. fam. hercisc. §. 23. Inst. de Legat. l. 2. C. quand. & quib. quarta pars. quæ pluribus persequi modus, tempus & instituti ratio non permittunt.*

DEO OPT. MAX. SIT LAUS
HONOR ET GLORIA.



l. 40. ff. de Minor. Parum enim esset sententiam executioni, l. 65. §. 2. ad SCT. Trebell. aurb. hodie Coler. de Process Execut. p. 3. c. 12. n. 108. Fieri eo qui sententiam tulit, d. c. 15 X. de Re Jud. l. 19 ab 3. Obs. 6. modo mixtum habeat imperium. Et tix mixti Imperii, l. 2. ubi Bus. de Idict. l. ult. §. 1. Scip. Gent. lib. 1. de Idict. c. 15. Ruyg. Ruland. de Com Judex ergo pedaneus seu delegatus sententiam quit, sed Magistratus, qui eum dedit, l. 15. n. Cred. Nisi sit delegatus Principis, qui cum pedaneum Judicem dare possit, l. un. C. qui p sententiam suam per se exequi potest, arg. d. l. 2 exequendam dare, qui eam, licet injusta sit, 28. §. quia vera X. de Off. & Pot. Jud. Deleg. Boce


XXIII.

Fieri autem debet executio contra ipsu l. 4. §. ait Praetor ubi Donell. ff. de Re Jud. l. ult. defuncto, adversus heredes ejus, l. 6. §. ult. ff. a curatorem tutorem, curatorem aut Syndicu l. 4. Contra tertium autem, non condemnatu test, l. 2. C. quib. res lud. non noc. l. pen. ubi Don. d. alios acta. Gail. 1. Obs. 118 l. 2. Nisi sit possessor re Judex sine novo processu sententiam exequi Gail. d. l. Alius autem exequendi modus o ali, alius in actione personali. Ex reali acti tur statim rem cum fructibus & omni causa non pareat, contendens non posse restituere, manumilitari officio Judicis possessio ab eo t potest restituere, siquidem dolo fecit, quo onem, quanti actor in litem juraverit, praesta non fecit dolo, non pluris aestimatur res, l. 68. ff. de Rei Vind. §. 2. 1. ff. de Off. Jud.

XXIV.

Ex personali autem actione condemnatu sententia satisfacere, sed humanitatis gratia ei

B 3



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE203 Serial No.

Patch Reference numbers on UTT

mandaretur
de Re Jud.
executio ab
Myns. Cent.
io senten
mand. Idict.
3. c. 9. n. 4.
exequi ne
C. de Reb.
habeat &
C. de Jud.
ordinario
secund. c.
h. 16.

nnatum,
Jud. vel, eo
contra pro
2. ff. de Re
ri non po
C. Res int.
tra quem
de litigios.
tione re
atus jube
si si Judici
ear rem
verò non
aestimati
si autem
revera est,
confestim
indulge
tur